

etiam negat infinitatem intrinsicam, et ex natura rei in satisfactione Christi, admittit tamen illam quasi extrinsece, ex acceptione Dei.

XIV. Sed quidquid sit de hoc, esse in satisfactione Christi valorem infinitum moralem abstrahendo ad hoc, an sit intrinsicè, vel extrinsece illi conveniens, colligitur aperte ex definitione Clementis VI in extravaganti Unigenitus de pœnitentiis, et remissionibus, ubi duo docet, alterum est, quod gutta sanguinis Christi propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset; alterum, quod propter infinita Christi merita non potest consumi, aut minui thesaurus Ecclesiæ relictus pro indulgentiis; ergo secundum determinationem pontificis, tribuenda est infinitas meritis Christi, et non infinitas secundum quid, quæ simpliciter finitas est: nam si simpliciter fuerunt finita merita, male assignat pontifex causam, qua consumi, aut minui non possit thesaurus: quod enim finitum est simpliciter minui, et consumi potest, licet ex objecto, aut aliunde dicatur secundum quid infinitum.

XV. Nec ista infinitas reduci potest ad extrinsecam Dei acceptionem, cum dicat pontifex: « Quod propter unionem ad Verbum gutta sanguinis suffecisset; » ergo ex illa unione participat valorem satisfaciendi pro toto genere humano, atque adeo non est quod aliud principium quæramus. Hanc conclusionem habet S. Thomas hic articulo II ad secundum, dum tribuit efficaciam infinitam satisfactioni Christi, utpote Dei, et hominis. Et in III, distinctione XX, quæst. I, artic. III ad secundum, dum visum corporalem Christi dicit habere infinitum valorem ex divinitate conjunctum, in quantum non erat vita puri hominis, sed Dei, et hominis.

XVI. Ad secundam difficultatem dico, probabilius esse hunc valorem moralem esse realiter intrinsicè in operibus Christi. Volumus dicere, quod hic valor moralis, seu æstimatione passiva non consistit in aliqua extrinseca deputatione, quæ pure est aliquid rationis; sicut iudex deputatur a rege, et ex tali deputatione extrinseca, debetur sibi æstimatione, et reverentia: et pecunia etiam deputatur ad aliquem valorem ultra naturalem, deputatione extrinseca, quæ nihil reale ponit, sed denominationem rationis. Sed dicimus, quod moralis æstimatione illarum actionum, consistit in intrinsicè ordine, et dependentia ad suum principium, a quo egrediuntur, et talis unio, quæ in actibus ipsis est ordo realis, seu dependentia a supposito, est id quo formaliter moraliter habent illa opera valorem, quatenus formaliter moraliter reddunt illa opera unita, et conjuncta rei infinitæ. Sicut actus inferiorum virtutum ex eo quod subjiciantur et imperentur a virtute superiori, procedantque ab ejus imperio, et directione, majoris valoris sunt; non per deputationem extrinsecam, sed per ordinem, et motionem extrinsecam, et receptam in inferiori: et unumquodque ex eo quod conjungitur suo superiori magis perficitur, ut sæpe docet D. Thomas, præsertim I, part. quæst. CVI, art. I, et quæst. III, art. I.

XVII. Igitur operationes Christi non perficiuntur, et æstimationem, seu valorem sortiuntur per aliquam extrinsecam deputationem, vel acceptionem Dei, quæ sit moralis dignitas secundum denominationem rationis, sed per intrinsicam, et realem processionem a suo principio, quatenus per hanc processionem, seu dependentiam, et ordinem ad ipsum sunt ei unitæ, et censentur esse aliquid ejus. Hæc conclusio

efficaciter probatur ex verbis relatis pontificis, et doctrina S. Thomæ. Nam dicit pontifex, quod: « Gutta sanguinis Christi propter unionem ad Verbum suffecisset pro redemptione humani generis, » ubi non loquitur de gutta sanguinis quasi materialiter, et in se; sed prout effusa in passione; et sic effusio guttæ sanguinis propter unionem suffecisset, qua etiam ratione perpetuo S. Thomas explicat hanc infinitatem ut patet I part. quæst. XXV, art. VI ad quartum: « Quod humanitas Christi ex hoc quod est unita Deo, habet dignitatem infinitam: » et III part. quæstione XLVIII, articulo II ad tertium inquit: « Quod dignitas carnis Christi non æstimanda est solum secundum carnis naturam, sed secundum Personam assumptam, in quantum scilicet erat caro Dei, ex quo habebat dignitatem infinitam: » et idem de dolore passionis Christi asserit in quæstione XLVI, articulo VI ad sextum: « Quod virtutem infinitam habebat ex divinitate unita. »

XVIII. Ex hoc ergo colligitur argumentum: Ex unione ad Verbum reddebatur caro Christi, et ejus operatio infinitæ dignitatis; sed unio ista non erat deputatio extrinseca, aut denominatio rationis, sed realis, et intrinsicè respectus; ergo per realem, et intrinsicum respectum habebatur valor iste infinitus. Major sunt ipsa verba pontificis in extravaganti; minor constat ex principiis fidei: nam quod caro, et anima Christi sint realiter unita Verbo, fides docet, et quod operationes sint unitæ, ratio naturalis demonstrat, quia realiter egrediuntur a persona operante mediante natura: ergo saltem in ipso egredi sunt ei conjunctæ, et aliquid illius, omni extrinseca deputatione, et dominatione rationis semota.

XIX. Dices: Totum quod est in hac unione, seu respectu ex parte

actionum est aliquid finitum realiter; ergo non potest realiter, et intrinsicè denominare actum valoris infiniti, sed finiti: neque enim denominat realiter, nisi quatenus informat actum realiter; informat autem ut quid finitum in actu in quod recipitur; ergo denominat ut quid finitum.

XX. Item: Quia si hæc unio, seu conjunctio ad Christum est sufficiens ad dandam infinitam dignitatem; ergo quæcumque res habuissent realem contactum et unionem ad Christum, manerent infinitæ dignitatis, etiamsi essent inanimatæ; et etiam actiones pure naturales, et partis vegetativæ essent dignitatis infinitæ. Imo omnes actiones Dei, ut creatio animæ rationalis, conservatio universi, et concursus cum actione mea, etiam peccaminosa, esset dignitatis infinitæ, et sic etiam mea actio erit dignitatis infinitæ, ob conjunctionem ad Deum operantem mecum. Unde S. Thomas I part. quæst. XXXV, articulo VI citato, eodem modo dixit habere infinitam dignitatem humanitatem Christi, et beatitudinem creatam, et Beatam Virginem, quia est mater Dei, quæ certe infinitatem solum habent secundum quid.

XXI. Ac denique, quia si esset infinita simpliciter, non haberet præmium, quod ipsi reddi posset; nec nostra satisfactio esset necessaria; nec deberet actus multiplicare Christus Dominus, ut pro nobis satisfaceret, quia primo actu, etiam minimo, utpote infinito, totum quod mereri posset, esset exhaustum, et pro omnibus peccatis satisfactum; ergo reliqui erant otiosi.

XXII. Ad primum respondetur, quod quidquid est in illo actu etiam unico, et relatio, si consideretur realiter physice, et subjective, ut quid receptum in ipso actu, est physice finitum; si autem consideretur

terminative ex parte rei infinitæ, seu personæ, cui unitur, et ut est aliquid ejus, sic formaliter moraliter reddit actum infiniti valoris. Itaque illa actio personaliter est infinita formaliter, physice finita; nam illa operatio ex eo quod est procedens a Verbo, ut a persona proxime producente, habet conjunctionem ad Verbum, ut ad determinantem illam operationem, ita quod illa operatio est aliquid Verbi, et Verbum aliquid illius, ut principium quod illius, et ideo æstimationem, et pretium recipit ex inclusione illa, qua includit Personam Verbi per modum terminantis, seu principiantis actiones: non enim actio appretiat morali æstimatione, seorsum considerata a suo principio a quo egreditur, et a suo termino cum quo identificatur. Licet ergo operatio sit finita physice, et relatio, seu ordo, prout in illa est, subjective sit etiam physice finita, tamen quia terminative, et personaliter hæc relatio includit rem valoris infiniti, scilicet Verbum, ut principium a quo egreditur, sic habet æstimationem valoris infiniti non physice, quia Verbum non reddit illam physice infinitam, sed moraliter, quatenus ex conjunctione illa physica, et inclusione rei infinitæ meretur æstimari in infinitum.

XXIII. Et sicut philosophi dicunt locum esse aliquid immobile, et tamen superficies ipsa mobilis est; et rursus ordo, et relatio distantiae, ut subjectatur in superficie, etiam mobilis est, ut tamen terminatur ad aliquid fixum, scilicet polos, reddit locum in ratione distantiae, et situs immobilem terminative. Sic actio Christi in se physice finita est, et relatio ad suum principium, prout in illa recepta est physice finita; ut tamen terminatur ad suum principium, illudque includit quodammodo, et est aliquid ejus, reddi-

tur valoris infiniti terminative, et personaliter. Unde Deus non æque diligit illam satisfactionem, atque diligit ipsum Verbum absolute loquendo, quia ex parte physice entitatis remanet finite diligibilis, et ex parte ipsius dignitatis habet illa actio solum quasi moraliter, et ex conjunctione ad Verbum, ipsum autem Verbum ex se auctoritative, et principaliter, et physice habet infinitam diligibilitatem.

XXIV. Ad secundum respondetur non omnes actiones esse capaces morali æstimationis, et pretii, neque omne quod conjungitur Christo, quocumque genere conjunctionis, nam quidquid est inanimatum, aut actio pure naturalis non est capax meriti, aut satisfactionis, et consequenter neque infinitum valorem satisfactionis habere potest: sicut neque Verbum unitum tribueret sanctificationem naturæ lapidis, si eam assumeret, quia non est capax, quam tamen tribuit humanæ naturæ. De actionibus autem Dei, quibus operatur ut causa universalis, respondetur quod illæ, si sumantur pro actione existenti in Deo, sunt ipsemet Deus, et sic sunt infinitæ in omni genere: si vero sumantur pro actione effecta, quæ recipitur in creatura, illa taliter est extra Deum quod non est specialiter unita Deo, et terminata ab ipso, et tracta ad hoc ut sit aliquid Dei personaliter, sicut nec ipsa creatura producta: et ideo creatura non habet specialem aliquem valorem ex tali productione, nec homo ex conjunctione ad alium concursus, sed communem, et generalem illam rationem, qua creatura Dei refertur ad Deum, quod de se manifestum est, quantum in valore morali differat ab eo, quod specialiter, et personaliter est actio Dei, illique unitum.

XXV. Similiter quando sanctus

doctor dicit: « Habere infinitam dignitatem humanitatem Christi, beatitudinem creatam, et B. Virginem, » non facit paritatem, nec comparationem alteri, sed omnibus attribuit infinitatem, relinquendo unicuique eam, quam secundum modum suum exigit, et in aliis locis specialiter explicat. Cur autem dignitates aliæ sint infinitæ secundum quid, et moraliter, et hæc humanitatis, et actionis Christi sit infinita simpliciter (licet id clarius explicabitur in solutione ad tertium et quartam, difficultatem) nunc breviter dico, quod aliæ dignitates respiciunt Deum ut objectum, cui subordinantur, ut beatitudo creata, et maternitas B. Virginis, licet proprius accedat ad ordinem unionis hypostaticæ, adhuc non habet personaliter unitum Deum, sed est ei conjuncta, ut subsistenti, et existenti intra se; et consequenter adhuc ut quid extrinsecum, et per modum termini correlativi, seu filii illum attingit. Actiones autem Christi procedunt a Persona divina, non ut ab objecto, sed ut a principio operante. Est autem in æstimatione morali lata diversitas, quod aliqua operatio, verbi gratia, genuflexio attingat regem, ut objectum, vel procedat a rege ut ab operante: nam genuflexio ad regem, cum respiciat illum ut superiorem, et procedat ab inferiori, non moralizatur a regia dignitate in valore, nisi secundum quid, et valde remote: genuflexio autem procedens a rege, ita est conjuncta, et unita regi, quod æqualitatem cum ipso habet in valore, quia hoc quod est personaliter procedere a rege, non ponit in numero, moraliter loquendo, cum rege.

XXVI. Elevando autem ista ad Deum, attingere illum ut objectum, vel terminum correlativum, est attingere ipsum ut superiorem ab inferiori, et non moralizatur æquali dignitate, et valore cum ipso Deo;

actio autem procedens personaliter a Deo quasi ad æqualitatem cum Deo moralizatur, quia non ponit in numero in æstimatione morali actio procedens, et principium a quo procedit, et ideo æstimationem habet infinitam simpliciter; non vero eam habet actus beatitudinis, vel charitatis, nisi objective, et secundum quid.

XXVII. Ad tertium respondetur, posse dari præmium infinitum, eo modo, quo meritum infinitum est, scilicet, non in esse physico, sed in æstimatione morali; sicut si Christus dirigeret actiones suas, ut uniretur Persona divina alteri naturæ, tunc enim natura illa maneret dignificata infinite moraliter; de facto autem non applicavit Christus merita sua pro tali præmio, sed pro aliis rebus. An vero de facto aliquid collatum fuerit Christo per modum præmii, quod esset valoris infiniti, infra quæstione XIX disputari solet, et D. Thomas in articulo tertio satis inclinatur in partem negativam, quantum ad ea, quæ sibi meruit Christus, quia totum hoc fuit minus dignitate merentis. Et ita magister Medina ibi solum concedit præmium infinitum ex parte modi, scilicet, quia datum est de rigore justitiæ quidquid meruit, non autem ex parte rei collatæ. Alii autem etiam ex parte rei collatæ dicunt habuisse aliquod præmium infinitum, scilicet reunionem humanitatis ad Verbum in resurrectione; de quo videatur Alvarez hic disput. XLIII, Suarez disp. IV, sect. IV.

XXVIII. Nec etiam sequitur nostram satisfactionem non esse necessariam, si Christi satisfactio fuit infinita, ut impie hæretici objiciunt; tum, quia debemus imitari Christum in actionibus suis, juxta illud I Petri: *Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus*; tum, quia debuit nobis applicari Christi satisfac-

tio mediantibus actionibus nostris, etiam satisfactoriis, non ut suppleremus defectum satisfactionis Christi, sed ut illam nobis applicarem simpliciter, juxta illud ad Colossenses 1: *Adimpleo ea, quæ desunt passioni Christi in carne mea*; tum denique, quia sicut pertinet ad perfectionem causæ primæ, quod illa sola non operetur, sed ex abundantia sua faciat alias causas operari, ita pertinet ad abundantiam satisfactionis Christi, ut non solum ipse satisfaciatur, sed etiam alios satisfacere faciat.

XXIX. Denique ad id, quod dicitur de multiplicatione operum Christi respondetur, quod licet minima actio ex parte suppositi haberet infinitatem, et in hoc esset sufficiens, et æqualis aliis; ex parte tamen objecti, et speciei suæ non omnes erant æquales. Ordinavit autem Christus meritum suum, non solum ex valore personæ, sed etiam superaddendo valorem ex parte principiorum specificorum, et objecti: debuit enim satisfactio ejus esse exemplaris, et consequenter major respectu omnium aliarum satisfactionum, et non solum debuit satisfactionem exhibere ex parte conditionis personæ, sed ex parte ipsius pænæ, ad quam homo tenebatur, ut dicit sanctus doctor in III, dist. XX, quæst. 1, artic. III, et III part. quæst. XLVI, artic. VI ad sextum, et præterea etiam idem voluit mereri pluribus actibus, quia pluribus titulis, ut dicit S. Thomas infra quæst. XXXIV, art. III ad tertium.

XXX. Ad tertiam difficultatem respondeo, valorem, dignitatemque actionum Christi desumi ex principio quo, et quod: a principio quo habet valorem, dignitatemque quasi specificam, et consequenter non æqualem omnibus actibus, sed juxta perfectionem diversarum virtutum, a quibus eliciuntur, diversæ perfec-

tiones sunt. At vero a principio quod, habent illæ actiones valorem, æstimationemque infinitam. Hæc conclusio ex præcedenti patet, nam quod actus ex parte principii quod, scilicet ex potentia, et habitu a quo procedit, habeat suam honestatem, et moralitatem, dubitari non potest, cum sint ejusdem speciei cum actibus nostris, verbi gratia, actus charitatis, humilitatis, jejunii, etc. ergo deberet habere valorem, seu perfectionem specificam, quam nostri actus habent: ex parte autem principii quod, habent dignitatem infinitam in valore, et æstimatione. Et difficultas reducitur in explicando, quomodo suppositum concurrat ad talem valorem tribuendum, quod in quarta difficultate expeditur.

XXXI. Solum ergo in præsentibus inquires, an iste valor sit aliquod pertinens ad bonitatem moralem, ita quod sicut actus virtutis in Christo, verbi gratia, actus orationis habet bonitatem moralem ex objecto, et fine, ita ex supposito habeant aliquam bonitatem moralem, saltem ut pertinens ad circumstantiam quis, vel quomodo vocandus sit ille valor, qui ex supposito provenit. Respondet pater Suarez hic disput. IV, sect. IV, §. Ad argumentum valorem proveniente a supposito esse distinctum a bonitate reali, quæ est differentia actus in esse virtutis, vel illi aliquo modo intrinsece inhæret, sed pertinet ad quamdam moralem æstimationem ipsius actus, secundum quam licet sint finiti in entitate, et intrinseca moralitate, sunt tamen infiniti valoris ex dignitate personæ provenientis. Et ponit exemplum in contritione, quæ secundum se intelligitur habere totam intrinsecam bonitatem moralem, et tamen nisi intelligatur in supposito grato non intelligitur habere valorem, et dignitatem meriti; posita vero gratia illam

habet non aucta, neque mutata ejus bonitate intrinseca.

XXXII. Pater Lorca hic disp. VI, n. X negat actiones Christi accipere valorem a supposito, tamquam a circumstantia extrinseca, sed tamquam a principio operante, et principio actionum, et numero dicit substantiam esse eis extrinsecam, non quidem quoad entitatem, sed quoad valorem, et æstimationem, quæ per se consideratur ex parte operantis.

XXXIII. Ego vero existimo, quod licet inter circumstantias morales numeretur a theologis persona operans, de quibus S. Thomas 1-2, quæst. VII, tamen dignitas illa moralis, quæ dicitur valor, seu pretium actionum Christi, non pertinet ad talem moralitatem humanam, neque ad circumstantiam ejus, quia persona in tantum redditur circumstantia, in quantum a ratione regulante sumitur ut conditio, seu accidens concomitans substantiam actus humani in individuo hic et nunc; et secundum hanc rationem dat moralitatem secundum quam a dictamine, et regula rationis consideratur, et ipse actus per conformitatem ad talem regulam, assumit moralitatem ex circumstantia proveniente, et ita objectum circumstantionatum, et regulatum a ratione, est quod dat moralitatem actui.

XXXIV. At vero dignitas, et valor in ratione meriti dignificans actiones, tribuit ipsis pretium, solum ex conjunctione, quam habent ad principium meriti, et sic vocatur a D. Thoma 1-2, quæst. CXIV, art. III dicente: « Quo attenditur pretium operis secundum dignitatem gratiæ per quam homo consors factus divinæ naturæ adoptatur in filium Dei. » Hoc autem pretium operis non derivatur in ipsum conformitate ad regulas rationis, sed ipsa conjunctione et quasi informatione, qua princi-

pium meriti informat actus efficiendo illos. Et hujus ratio est, quia valor iste non consistit in conformitate cum lege, vel regulis operandi, sed in æstimabilitate passiva, quam habet erga alios, erga quos homo meretur; non ergo persona quatenus circumstantiæ rationem exercet et accidens quoddam est moralitatis descendens a regulis rationis; sed quatenus æstimabilitatem passivam fundat in ordine ad alios, dicitur dare valorem meriti; hoc autem habet actus ex conjunctione ad talem personam ut ad principium a quo egreditur; ex illa ergo habet hanc moralitatem, non quidem regulationis a ratione, sed æstimabilitatis passivæ. Circumstantia ergo personæ operantis non dicitur actum ipsum moralizare, quasi immediate, sed mediante objecto a quo, ut regulato a regulis rationis, et consequenter circumstantiis ornato sumit actus moralitatem.

XXXV. At vero dignificatio operis non derivatur in ipsum opus a principio operante mediante objecto, quod circumstat, sed mediante conjunctione, seu egressione, quia circumstantia non moralizat, nisi ut regulis rationis pensatur, et judicatur, atque adeo ut objective apprehenditur ab ipsis, dignitas autem non ex regulatione rationis, sed ex valore quod in se habet principium illud, cui in re conjungitur actus æstimatur. Vide Cabreram hic disp. V, numero CLXXVIII. Hæc autem æstimabilitas passiva fundatur in reali respectu, quo actio egreditur a tali principio, eique conjungitur, non in denominatione rationis, quæ scilicet ab æstimatione Dei, vel hominum reddatur tanti valoris, vel qualibet alia denominatione extrinseca; in quo recedimus a Suarez, ob rationem supradictam, atque adeo ipsa unio realis non est formaliter æstimabilitas moralis, sed fun-